

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Obedientia u cum fonte primo

Inobediencie morbus ex superbie
tumore procedens sicut
sanies ex ulcere, sic ex superbia
contemptus manat.

Hoc autem tribus modis mederi
solet: uidelicet emplastro, unguento et
ferro, id est exemplo boni operis,
uerbo exhortationis et disciplina
correctionis. Cum enim ulcus non
emittit per confessionem saniem uel
ex commonitione non promittit
emendationem, restat ut ferri recipiat
incisionem, id est correctionem
discipline.

Hugo de duodecim abusionibus.

Inobedientiae morbus ex superbiae
tumore procedens, sicut
sanies ex vulnere, sic ex ulcere
contemptus emanat.

Morbus inobedientiae languor est
animae. Qui enim operari non vult et
potest, vivit, sed languet. *Vivit potestate,
sed languet voluntate.* Hoc morbo
primus homo languit, qui cum viveret
potestate, et sanus esset voluntate, bestiis
terrae praepositus fuit, per inobedientiae
vero culpam suppositus, etiam nunc
muscis, et culicibus per posteros servit.
Quando infirmitas carnis adunatur in
tumorem, contingit quandoque ut
generet languorem. Mens enim carnalis
per tumorem superbiae incurrit
saepissime languorem inobedientiae.
Duae autem sunt tumoris species, duri
videlicet et mollis. Duritia tumoris in
carne, est obstinatio carnalium in
conversatione.

Huic autem tribus modis mederi
solent, emplastro scilicet, unguento et
ferro, id est, exemplo boni operis,
verbo commonitionis, disciplina
correctionis. Cum enim mens non
emittit saniem per confessionem, vel
ex commonitione non promittit
emendationem, restat ut ferri recipiat
incisionem, id est, correctionem
disciplinae.

Hugo de Folieto, *De claustro animae
libri quatuor*, 2, 13 (PL 176, col.1061B-
C).